

stræ confirmationis &c. Datum Scheningiae XII. Kal. Martii, Pontificatus domini Innocentii Papæ IV. Anno Quinto.

(L. S.)

På frånsidan: Confirmatio donationis librorum a domino Thoma Finlandensi per W. Legatum Sabinensem.

359.

1248 d. 1 Mars.

Skenninge.

Påfl. Legaten, Bisk. WILHELMUS af Sabina öppna Bref rörande de vid mötet i Skenninge fatta-  
de beslut, neml.: att om ett års tid derefter ingen Prestman mera måtte vara gift; att Prest-  
barn sedermära ej måtte erkännas för söner eller få ärfva, och att om slägtingar tillregnade sig  
sådant arf, var det rån och stöld; att Prest endast af hvad han i och för sin person, utan  
afseende på sitt embete, äger, må efter behag göra testamente, men allt annat hans gods  
tillhörer kyrkan; att ingen måtte sig i Presters eller Predikare-bröders hus under sken af  
gästning eller annan förevändning med våld intränga eller der aftvinga dem eller deras folk  
något; att Biskop ägde vid sina visitationsresor uppåra endast gästning för vissa dagar,  
hvarjemte stadgas om gengärds utgörande dertill, om delning af det offer, som faller i sock-  
nekyrka, när Biskopen är närvanande, om ersättning för Kyrkoherden, när församlingen  
är bannlyst; vidare: att Biskopslänsmän skulle med hand å bok edeligen förpligta sig att red-  
ligen och utan förargelse förrätta sin tjenst och ej inblanda sig i andeliga förrättningar; att  
Prester ej fingre härtill tagas; att utgifterna för Påfl. Legatens underhåll skulle fördelas mel-  
lan Biskoparne och stiftets kyrkor; att Ärke-Biskopen och hvarje Biskop skulle inom ett år  
äga hvar sitt exemplar af den sist gjorda samlingen af Decretalerna, och dem sedan flitigt  
studera; att ej lemnna kyrkans tionde åt någon lekman; allt detta vid straff af kyrkans förbud  
och bann för öfverträdelsen; med tillägg att stiftets Biskop ägde aflösa botfårdige, som genom  
brott mot något af ofvanstående Påbud blifvit dömdé; och slutligen befallning att Bi-  
skoparne skola årligen på Prestmöten låta noga upplåsa och förklara dessa stadgar.

A. 2. a. 3: 2. \*)

Dilectis in christo fratribus omnibus in regno suechie constitutis pre-  
sentes litteras inspecturis. W. Miseracione diuina sabinensis Episcopus apo-  
stolice sedis legatus salutem in nomine ihesu christi. Cum in Norwegia &  
suechia legacionis officio fungeremur, coronato rege norwiegie & in eodem  
regno aliis que agenda erant spiritualiter & temporaliter dispositis in quan-  
tum dominus ministrauit, properantes in sueciam inuenimus regnum illud  
temporaliter & spiritualiter fere per totum mirabiliter & miserabiliter con-  
turbatum. Erat siquidem guerra satis dura inter regem & quosdam nobi-  
les, ex qua homicidia & incendia multa contigerant & rapine. spiritualiter au-  
tem eo quod fere omnes sacerdotes erant presbiterorum filii patrum uestigiis

---

\*) Detta Mötes-Beslut, en grundlag för Svenska Presterskapet under Medeltiden, har flere gånger  
blifvit tryckt med mångfaldiga skiljaktigheter, efter de olika, till grund lagde, gamla Afskrifter.  
Sedan sjelfva Originalen, som af förra Utgifvarne ej varit kändt, nu igenfunnits, är det öfverflödigt  
att anföra de många olikheterna: de finnas redan samlade i (Trolls) *Skriften och Handlingar*  
*till upplysn. i Svenska Kyrko- och Reformation-Historien*, 2 Del. sid. 307 följ.

inherentes contrahendo sollempniter matrimonia uel publice concubinas habendo in sacris ordinibus constituti. Curam quoque habentes animarum nulla sedis apostolice dispensacione optenta. Inoleuerat eciam consuetudo que pocius merito dici poterat corruptela, quod defuncto sacerdote filii eius uel deficientibus filiis cognati proximiores in omnibus mobilibus que possidebat ecclesia succedebant. ex quo sequebatur quod ecclesie nimia paupertate perpetuo premerentur. & propter hoc allegabant sacerdotes quod nulla ratione poterant sustinere sine coniunctione ac ministerio mulierum. Interponente igitur domino ihesu christo auctore pacis uniuerse orbis mirabiliter & notabiliter partes suas, perfecta est pax post multos tractatus quos inter partes habuimus de spontanea parcium uoluntate. Deinde post aliquantuluni temporis, domino archiepiscopo vpsalensi & suffraganeis eius ad nostram presenciam conuocatis, habita pluribus diebus multa disputacione & deliberacione quibus interfuit eciam dux per quem fere totaliter regitur terra illa, presente quoque legifero terre & multis aliis magnis & discretis uiris ac sacerdotibus multis de consilio & uoluntate dicti archiepiscopi & suffraganeorum eius, sic duximus auctoritate qua fungebamur apostolica statuendum, ut nullus decetere in sacro ordine constitutus, uxorem accipiat uel concubinam publice seu cohabitatem habeat & si contra hoc factum fuerit, nouerint ille mulieres se anathematis uinculo innodatas. Si qua autem iam est concubina, uel uxor de facto, licet per viam dampnacionis incedant, tamen infra annum excommunicacionis uinculum non incurvant. sed si finito anno non separantur omnino, nouerint se anathematis uinculo innodatas. & caueant qui sic eas habuerint ne excommunicatis ulterius participant in peccato, quia sicut iure canonico est expressum eodem uinculo ligarentur. Exceptis quinquagenariis sacerdotibus & feminis. qui si fidem dederint & sub magna pena pecuniaria promiserint episcopo de omnimoda continentia & quod numquam in eadem domo uel sub eodem tecto simul dormiant, poterit eos episcopus si ei bonum & tutum uidebitur, sustinere. filii autem illorum qui decetere tales uxores uel concubinas acceperint, uel qui post annum nascituri sunt de hiis qui iam tales optinent mulieres, nichil percipient ab intestato de hiis que pater eorum uel ecclesia possidebat. & si acceperint, ipso facto sentenciam excommunicacionis incurvant. Illi autem qui iam nati sunt, uel qui infra annum nascentur de mulieribus que iam cum sacerdotibus licet dampnabiliter demorentur. jugum de nouo non imponimus. sed contestamur eos. & si filii non supersunt, cognatos, quod mortaliter peccabunt, & rapinam & furtum commitunt, si de hereditate sacerdotis uel ecclesie aliquid acceperint. & nisi restituant, deo reconciliarj non possunt. Per testamentum autem possunt sacerdotes licite relinquere cui placet, si quid ex hereditate uel artificio aut doctrina seu ex dono eis facto, contemplacione

non ecclesie sed persone mortis tempore possederunt, Jn aliis autem bonis quia omnia sunt ecclesie, non licet eis aliqua ratione testari. Porro bonos sacerdotes qui absque uxoribus & publicis seu cohabitantibus concubinis uoluerint permanere, prerogativa dilectionis, & fauore beniuolo prosequentes, de consilio & consensu archiepiscopi & suffraganeorum eius & auctoritate qua fungimur apostolica, duximus statuendum. quod quicumque decetero in domibus eorum & precipue fratrum predictorum uiolenciam fecerint, pretextu hospitalitatis, uel ex alia causa, frangendo eorum domos uel hostia. seu uolenter aliquid rapiendo. seu in sacerdotes uel domesticos eorum manus iniciendo uiolentas, exceptis personis domini Regis & ducis, sentenciam excommunicacionis incurvant. Episcopis quoque quando uisitauerint eos in uirtute obediencie precipiendo mandamus, ne aliquid ab eis preter solam procuracionem exigant uel oblatum recipient. Ministris quoque episcoporum silicet marschalco & seneschalco & aliis omnibus qui sequuntur episcopum districte precipimus, quod tempore uisitacionis nichil omnino exigant a sacerdotibus uel ab aliis pro eis per se uel per alios. & siquid exegerint preter uictualia que ad procuracionem pertinent, uel oblatum acceperint, ut supradictum est uinculum excommunicacionis incurvant. Precipimus quoque sub pena excommunicacionis ne aliqui preter suos hospitentur cum episcopo apud sacerdotes in diebus uisitacionis, nisi nominatim a sacerdote qui procurat episcopum, fuerint inuitati. Jn diocesi Vpsalensi strengenensi. arusiensi skarensi ita ordinamus, ut ubi solet episcopus hospitari. IIII:or diebus causa uisitacionis, hospitetur tribus. Et ubi solet tribus, habeat sacerdos opcionem uel redimere cum marcha argenti & dimidia, uel procurare cum. XX. tantum equitaturis. Vbi uero duabus, habeat opcionem uel redimere cum marcha argenti. uel cum. XX. equitaturis tantummodo procurare. Jn strengenensi tamen si redemerit cum marcha argenti, adiciat duas metretas mellis. Jn regione autem vesterdalum, arusensis diocesis, fiat de hiis sicut fuerat hactenus obseruatum. Jn lincopensi autem & uexionensi diocesi dimissa sit diei tercie mensa. De duobus autem diebus habeat opcionem sacerdos uel redimere procuracionem cum marcha argenti & dimidia &. IIII:or metretis mellis uel cum. XX. tantum equitaturis, episcopum procurare. Jtem statuimus ut si contigerit episcopum celebrare uel missam audire in ecclesia parochiali in die solemni quando solet populus generaliter offerre secundum consuetudinem regionis. sic offertorium diuidatur, ut quod offert Episcopus uel alii qui cum eo uel propter eum uenerunt, habeant capellani eiusdem. Quod autem parochiani offerunt, sit integre sacerdotis. si uero contigerit interdici ecclesiam pro alicuius delicto, pro quo episcopus penam pecuniariam acceperit, in tantum satisfaciat episcopus sacerdoti, in quantum dampnificatus apparuerit ex huiusmodi interdicto. Et hec omnia bonis sacerdotibus sunt concessa. Pro immundis autem

& publice fornicantibus nichil penitus innouamus. & si quid eis male contigerit, sanguis eorum sicut scriptum est, super capud eorum erit. Statuimus preterea & precipimus in uirtute obediencie omnibus in sacro ordine constitutis, qui modo mulierem non habent, & illis qui habent post annum, quod nullos filios nascituros sibi approprient, recognoscendo suos esse, tenendo eos secum, & alendo uel alibi publice nutriendo, uel suum filium publice nominando. Cum ille demum debeat recognosci filius, secundum quod iura dicunt, quem legittime nupcie demonstrant. Quicumque autem contra hoc scienter & uoluntarie fecerint, nouerint se anathemati subiacere. Item statuimus & in uirtute obediencie precipimus episcopis ut faciant omnes officiales suos qui uulgo exactores dicuntur iurare super sancta dei ewangelia, quod officium suum cum ueritate & sine calumpnia, bona fide peragant. & de cognoscendis causis matrimonialibus uel aliis spiritualibus cum laici sint, se nullathenus intromittant. Clerici uero nulli assumant officium exactoris. & si quis contra hoc fecerit, nouerit se ecclesiastico suppositum interdicto. Item precipimus episcopis & statuimus quod de expensis procuracionum nostrarum terciam partem persoluant de camera, & duas tantum partes accipient de ecclesiis, facta distribucione inter ecclesias prout cuilibet suppetunt facultates. Precipimus quoque archiepiscopo vpsalensi & omnibus suffraganeis eius in uirtute obediencie, ut infra annum habeant & possideant dum uixerint iure proprietatis librum decretalium secundum ultimam compilationem, que facta fuit tempore uenerabilis memorie Gregorij. pape. IX. & ut studeant in eo secundum quod dominus ipsis graciam ministrabit. Siquis autem eorum predictum librum infra annum habere neglexerit, nouerit se ecclesiastico suppositum interdicto. Preterea precipimus & in uirtute obediencie sub pena excommunicationis & suspensionis archiepiscopo & omnibus suffraganeis eius, quod nulli laico decimas alicuius ecclesie parochialis concedant. Item statuimus & committimus archiepiscopo & omnibus suffraganeis eius cuilibet in sua diocesi, si contigerit aliquem uel aliquos incidere in aliquam de nostris excommunicacionibus uel interdictis supradictis, & penitens uoluerit emendare, liceat dioecesano eius ipsum absoluere. si tamen primo reddendo siquid acceperit uel siquid dampnum dedit plene soluendo satisfecerit, sine ulla obligacione uel spe illud quod soluerit rehabendi. Precipimus quoque in nomine ihesu christi & in uirtute obediencie domino archiepiscopo vpsalensi & omnibus suffraganeis eius quod hec omnia singulis annis in suis synodis diligenter legi faciant & exponi. Datum skening. lincopensis diocesis anno ab incarnatione domini. M°.CC°.XLVIII°. Kal. Marcii. presentibus consulentibus & consencientibus uenerabilibus patribus & fratribus archiepiscopo Vpsalensi & Quinte suffraganeis eius ac multis aliis.

På frånsidan: statuta & ordinaciones domini sabinensis.  
Sigillet finnes nästan oskadadt.